



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 36. Triumviri de ineundo certamine Reginae consilium expetentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. ubi cives, quod portas aperire recu-  
 A.C. 1562. sent, oppido vi capto deprædatione mul-  
 ctati sunt: postea vero Condæus Prin-  
 cept Alnatum usque processit.

## §. XXXVI.

*Reginæ consilium a Triumviris expe-  
 titum circa prælium ineundum.*

*Mem. de  
 Castelln. l. 4.  
 p. 4.*

Interea Catholicorum exercitus, qui  
 hostem strenue insequeretur, propius  
 instabat: cum autem eorum, qui castra  
 dimetiebantur, imprudentia Condæus  
 Princeps aciem ducens a Colinio, qui  
 dextrum cornu regebat, leucam am-  
 plius digressus esset, errore agnito  
 Colinius auctor fuit, ut diem integrum  
 subsisteretur, donec restituto ordine  
 ipse cum dextro cornu aciem antee-  
 deret: porro iniqua hæc rerum vicissi-  
 tudo Catholicis haud parum profuit,  
 quippe vix duabus leucis ab oppido Or-  
 moyo distabant, tanta situs opportuni-  
 tate, ut eos Aura flumen ab hoste in-  
 terfeceret.

Triumviri, cum de prælio ineundi  
 ancipites hærent, nilque absque spe-  
 ciali Reginæ jussu aggredi vellent, ad  
 sinistri successus calumniam incurre-  
 rent, Castellnaum ad Reginam ablegant,  
 qui eidem rerum statum, in quo Regi  
 exercitus Belliduces essent, exponeret,  
 simulque significaret, quod res quidem  
 ad

ad prælii cum hoste conferendi oppor- **Sæcul. XVI.**  
 tunitatem deducta esset, locus vero Au- **A.C. 1562.**  
 læ adeo vicinus foret, ut absque Regiæ  
 Majestatis suæ mandato Belliduces  
 quidquam moliri minime auderent. Hoc  
 sermone Regina haud parum commo-  
 vebatur, atque ad Regis Nutricem con-  
 versa. Ecce Nutrix, inquiebat voce  
 non minus indignationem, quam lu-  
 dibrium prodente, quam generosi sint  
 „exercitus Gallici Belliduces, qui a foe-  
 „mina, & ab infante consilium quæ-  
 „runt, an cum hoste configere debeant,  
 „quid tibi de eorum fortitudine vide-  
 „tur? „ His dictis Regina abiit, cum  
 autem Castellnaus certum urgeret re-  
 sponsum, eadem prius in Regis cubili  
 deliberatione cum quibusdam Proceri-  
 bus habita paucis hæc reposuit: „ nil  
 „Belliducibus præscribo, sed totum eo-  
 „rum prudentiæ committo. „

## §. XXXVII.

*Regius exercitus trajecto amne hostem  
 aggredi paratus.*

Accepto hoc responso Connestabilis, **Thu. I. 34. n. 1**  
 Guisus Dux, & Santandreanus Ma-  
 rescallus omnino prælium inire, atque  
 ideo Auram flumen trajicere decreve-  
 runt, cumque neminem oblectari cerne-  
 rent, nocte insequenti, quæ diem deci-  
 mam octavam a nona interfecat, cum  
 U u 3 toto